DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
VARIOLARUM
INSITIONE:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Auctoritate Dignissimi Vice-Cancellarii,

GULIELMI LEECHMAN, S. S. T. P. P.

ET

COLLEGII GLASG. PRAEFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu,*

Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE *Decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

PATRICIUS RENNY, A. M. *Britannus.*

AD DIEM VII AUGUSTI, HORA XI,

LOCO SOLITO.

GLASGUAE:

IN AEDIBUS ACADEMICIS,

EXCUDEBANT ROBERTUS ET ANDREAS FOULIS,

ACADEMIAE TYPOGRAPHI,

M.DCC.LXXI.

QUI alium fequitur, nihil invenit, imo nec quaerit. Quid ergo? non ibo per priorum veftigia? ego vero utar via veteri: fed fi propiorem planioremque invenero, hanc muniam. Qui ante nos ifta moverunt, non domini noftri, fed duces funt.——Patet omnibus veritas, nondum eft occupata; multum ex illâ etiam futuris relictum eft.

SENEC. Epift. ad Lucil.

Viro Literis Morumque Elegantia

Ornatissimo,

ALEXANDRO STEVENSON, M. D.

Usus, et Medicinae Institutionum

In hacce Academia Professori Illustrissimo,

Ob Amicitiam et Benevolentiam

In sese conspicue demonstratam;

nec non

Viro egregio

ROBERTO PERROT Armigero

De Newport Pagnell in Comitatu

Buckingamiensi, adfinitatis illius ergo, et

Amicitiae stabilis ac diuturnae,

Quae sibi cum illo intercedit;

nec

NEC NON

DOMINO JOANNI RENNY

PRAETORI DE FALKIRK

PATRUO SUO ADMODUM HONORANDO,

PROPTER CURAM VERE PATERNAM,

QUAM IN SESE LITERIS ET ARTIBUS BONIS

OLIM EXCOLENDO LUBENTISSIME

POSUIT,

HANCCE DISSERTATIONEM INAUGURALEM,

QUALISCUNQUE SIT, PARVULUM,

ANIMI HAUD INGRATI MONUMENTUM,

DICATAM ESSE VOLUIT

A U C T O R.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

VARIOLARUM

INSITIONE.

INSITIO variolarum multo frequentius, quam olim, hodie concelebratur; cum vero, apud noſtrates, nec ubique, nec ſemper, in uſu ſit, varii ejus ſucceſſus enarratio a diverſis medicis et chirurgis, candore ſuo verendis, juſte et fideliter exacta, ad praejudicia illa removenda, quae apud vulgus adhuc invaleſcunt, praxeos hujuſce tam benignae et ſalutaris progreſſui remoram objiciunt, utilitatemque, quae exinde in genus humanum proflueret, quam longiſſime arcent, magnopere profecto conferret. Quò vero noſmetipſi ad hanc rem provehendam nonnihil ſaltem contribuamus, haecce diſſertatiuncula, qualiſcunque ſit, in lucem prodiit.

Primam inventi hujufce originem indagare, forfitan in difficili erit. * Pylarini enim et Timoni, medici Romani, qui ejus fcientiam cum regia focietate primum communicarunt, praxin hujufcemodi ab aevis longe remotis in Circaffia jam invaluiffe, fed magis uti pulchritudinem mulierum confervaret, quam uti periculum ex morbo naturali oriundum praecaveret, inftitutam fuiffe, memoriae prodiderunt.

Ufum variolas inferendi, fummae fuiffe † antiquitatis apud incolas Chinae, aliofque populos Orientis, ex aequo conftat; modum inter illorum et noftrum quamvis equidem aliquid differentiae intercedat, hoc tamen illis in animo et votis affidue fuit, uti morbi fpeciem mitiorem inducerent, et ftragem illam funeftam ac miferandam, quam in hifce regionibus foli magis fubjectis, dum graffatur epidemice, longe lateque edit, depellendam curarent.

Infitionis autem variolarum in Britanniam in-

* Phil. Tranf. N° 339, and 347.
† Lettres de Miffionaires, Recueil XX.

vectio, * dominae ex familia in primis illuſtri nobilique prognatae, et non minus ingenii acumine ſingulari et morum elegantia, quam natalibus conſpicuae, debetur. Filio ejus apud Conſtantinopolitanos curationem hancce auſpicatiſſime perpeſſo, in patriam reverſa filiolam quoque, ſexennium circiter natam, eandem ſubire voluit, quae quidem omnium prima fuit apud Anglos, quae artis hujuſce novae fructum ſaluberrimum feliciter experta eſt. Epiſtolae jucundae et venuſtiores, ab hacce matrona illuſtriſſima in lucem editae, clarum judicii ſui limatioris monumentum publice proſtant.

Iis quoque ſuae laudes minime invidendae ſunt, qui apud nos primi ad hancce artem excolendam animum appulerunt, et methodo medendi, quae illis optime ceſſit, honeſte, ingenue, et ſincere divulgata, in hacce regione medicinae olim ignota et obſcura perluſtranda, quantum in illis fuit, nobis praeluxerunt: ob merita igitur ſua maxima, Maitlandi, Jurini, et Nettletonii nomina apud poſteros etiam ſeros fama digniſſima inclareſcent.

* L. M. W. Montague.

Egregius ille vir, Kirkpatrick, naturae et morborum indagator ſagaciſſimus, totum hoc quoque argumentum in analyſi ſua haud leviter percurrit; quod enim ad artem variolas inſerendi pertineat, prout ipſe tunc temporis feliciter exercebat, nihil fere omnino praetermiſit; et, in caſibus quibuſdam adverſis, perpaucis, inter medendum occurrentibus, aperte fideque notandis, exemplum illuſtriſſimum aliis imitandum ſuffecit: tantus ingenui viri candor apud omnes innotuit!

Intra pauculos annos proxime elapſos, longius longiuſque ſerpſit et progreſſa eſt ars haecce ſalutifera: pro certo vero Suttonianis ſolis debetur illa ratio, cum laborantes morbo inſititio tractandi, tum variolas a corpore infecto in ſanum transferendi, prae omnibus aliis eximia et laudanda, quae nunc ubique propemodum in uſum revocatur, cujuſque effectus feliciſſimos experientia quotidiana magis magiſque demonſtrat.

Quam optime quoque de civibus ſuis meretur illuſtriſſimus Baro Dimſdalius ob tractatum ſuum accuratiſſimum, De nova et exculta ratione

variolas inſerendi, quam, publicae ſalutis promovendae generoſe ſtudioſus, in lucem edidit. In hac vero, omnes diſciplinae fontes tam plene reſerandos, et doctrinam exemplis aptis et idoneis ita illuſtrandam et confirmandam, curavit, uti nihil fere praeterea reliquum ſit ab aliis auctoribus adjiciendum.

Ob hanc igitur cauſam, tentamen hocce noſtrum limitibus anguſtioribus circumſcribere viſum eſt, et ſolummodo, ex magna caſuum varietate, qui nobismetipſis inter medendum occurrerunt, et ab experimentis quibuſdam, eo conſilio uti luminis aliquod huic parti medicinae majus offunderetur inſtitutis, indigitare:

I. Quinam praecipue modus inſerendi variolas, et quale pus, in uſum revocentur.

II. Naturam contagionis in univerſum, indolem vero praeſertim inquinamenti varioloſi, quantum per ingenii vires licuerit, in apertum proferre.

I. Modus autem aegros tractandi refrigeratorius, aetatis, sexus, vel temperiei nulla ratione habita, nequaquam absque discrimine semper adhibendus est; casus enim complures inter medendum occurrent, ubi ratio plane diversa necessaria fiet. In foeminis nempe hystericis, quibus fibrae debiliores ac nimis laxae; et in viris quoque hypochondriacis, vitam sedentariam et otiosam degentibus. Sin hisce vires medicamentis evacuantibus subito convellas, inscitiam profecto turpissimam proderes, et scientiae prima elementa te ex toto ignorare demonstrares. Quidam tamen hujuscemodi casus, memoria nostra, non defuerunt; ubi aeger, ante pustularum eruptionem, durante cathartici mercurialis operatione drastica, miserandus abreptus est.

Allatis hoc exemplis probare facillimum foret, nisi metus esset, ne ex invidia in homines, qui, fatendum est, hanc artem quodammodo provexerunt, suboriri existimaretur. Sententia tamen illis Horatiana non male conveniet:

"Dum vitant vitia—in contraria currunt."

Rationem igitur diverſam in temperiei diverſae hominibus proſequamur oportebit; nunc cardiaca, nunc evacuantia proſunt. Optime ergo conſcripſit Mortonius, dum de morbo naturali diſſereret: "Empyricum eſt, et medico indignum "videtur, in hoc morbo ſemper eandem calcare "viam, et alexipharmaca, emetica, venaeſectio- "nes, &c. omnibus praeſcribere, cum indicatio- "nes diverſae ſaepe ſint et plane contrariae." p. 34.

Variolis hyeme ſuperiore per oppidum, Newport-Pagnel dictum, pagoſque vicinos, epidemice graſſantibus, occaſiones complures, effectus varios, a modis diverſis quibus aegri, praeſertim inoculati, tractarentur exortos, notandi nobis adfuerunt. Nam ineunte hyeme, cum primum morbus naturalis ſemetipſum oſtendere coepiſſet, ex plebe multos, praecipue juniores et infantes e medio ſuſtulit; quocirca, uti, quantum fieri potuit, huic malo obſiſteretur, pecunias incolae generoſiores inter ſeſe contulerunt, ad ſumptus ſuppeditandos, quibus omnes pauperes, qui hancce curandi rationem ſubire vellent, inocularentur Cum

vero infitionis ufus in hacce provincia non adeo frequens fuiffet, conditionem oblatam multi cum faftidio refpuerunt, nec incolumes evadere voluerunt, fed praejudiciis abrepti remedium, prout vile gratisque datum, pertinaciter recufarunt; etiamfi morbus interea naturalis, e fpecie confluentium peffima, perniciem quotidie mortalibus multis inferret.

Ex octoginta autem pauperculis, quibus intra menfes Decembrem et Januarium virus variolofum inferui, ne unus quidem morti fuccubuit; plures enim morbo elapfi, moleftiarum expertes, auxilio nullo e medicina petito, nifi ufitatis remediis praeparatoriis et catharticis, ad fanitatem perducti funt.

Ante infitionem, nullo temporis fpatio relicto quo aegri, per regimen idoneum ad eam fubeundam paratiores redderentur, pulvis vel pilula mercurio-antimonialis vefpere poft infitionem, et proximo mane falis cathartici dofis, exhibebantur; et haecce medicamentorum feries per feptimanae de-

curſum, ante puſtularum eruptionem, diebus alternis iterata fuit, omni victu animali et liquoribus fermentatis interea rigide interdictis.

In hominibus tractandis, qui medicamentis mercurialibus minus aſſueti, ſub initium, portiunculam minuſculam, quatuor aut quinque granorum adhibere neceſſarium fuit; ſiquidem operarii robuſtiores doſin octo granorum, abſque periculo hypercatharſeos, ſuſtinere non valuerunt.

Febris eruptionem concomitantis indicia, die ſeptimo, octavo, nonove poſt inſitionem peractam, raro violenta aut valde inflammatoria ſeſe manifeſtarunt; et brevi, puſtulis erumpentibus, ex toto evanuerunt.

In hominibus ſanis et robuſtioribus, ita plerumque ſeſe res habebat. Sed in minus firmis et imbecillioribus longe aliter eveniebat. Tales enim difficilius incolumes evaſerunt; nam ad diem decimum undecimumve, ſignis febris eruptionem comitantis nuſquam apparentibus, cephalalgiis, nauſea frequenti, lumbagine, et aliis affectibus

nervosis laborarunt: haecce mala per spatium quatuor aut quinque dierum, cum exacerbatione febrili vespere, quae mane recentem pustularum sobolem edidit, etiamnum tenuerunt, ad diem usque decimum quartum, cum omnes pustulae jam erupissent. Casus vero hujuscemodi rarius occurrerunt.

Homines habitudine corporis obesi, praepingues, aut colore nigricantes, etsi regimen accuratius summa cum cautela praemissum fuisset, majore pustularum copia semper onerati fuerunt, et eorundem quoque fauces, stadio suppurationis interea procedente, gravius affectae. In gulam deglutitione perdifficili laborantium introspicienti nunquam pustulas variolosas fauces obsidentes, sed solummodo tonsillarum velique penduli palati inflammationem graviorem videre contigit, quae alvo pulvere antimoniali cathartico bis terve leniter ducta semper levata fuit, ita uti in posterum deglutitio libera et expedita maneret. Medicamenti hujusce effectus optimos et salutares, cum in morbo naturali, tum in insitivo, quos ab aliis catharticis quibuslibet alvum fortiter ducen-

tibus fruſtra quaeras, laudibus ſuis ſatis exornare nequeo.

Occaſione oblata, qua varios effectus explorarem, ex modis diverſis, ſive novis ſive antiquis, quibus variolae inſeruntur, oriundos; quoſdam pure recenti fluido in puncturam minimam ingeſto, alios vero filo pure imbuto, in minus longiusve temporis ſpatium conſervato, inficiendos curavi.—Exitus huc rediit: pus recens et fluidum in contagio impertiendo votis aſſidue reſpondebat; nonnunquam vero filum, praeſertim tempore longinquiore conſervatum, ſpes noſtras longe fefellit. Symptomatum autem diſcrepantia, in hominibus temperie conſimilibus, ſive curationem recentiorem ſive antiquiorem ſubiiſſent, omnino nulla notata fuit.

Rationem inter novam et antiquam hoc maxime intereſt; nempe, quod, in illa, nulla fere ſuppuratio; in hac vero, brachiorum exulceratio, cum multo pure depluente, ſemper adeſt. Sicubi igitur huncce humorum effluxum promovere conveniat, quo temperies et habitudo corporis

emendetur, insitio fili subsidio potior, aliisque modis anteferenda.

Fila diversarum aetatum ex pure varioloso, ab unius diei spatio, ad mensium novem usque decursum, intincta, diversis adhibui; et rarius evenit, quin morbum specie blandiorem impertirer: hoc semper animadverso, quo recentius pus variolosum esset, eo certiores effectus, et vice versa, praestitisse.

Quo certior fierem, quamdiu filum contagionem efficacem in sese reservaret, mense Decembris, matronam et prolem utramque, filo pure varioloso ante sexennium imbuto, quod adhuc nitidum et elasticum in brachiis utrisque demersum, et emplastro tenace retentum est, inficere conatus sum.

Biduo interposito, matris filiaeque natu majoris brachia inflammatione leviuscula correpta paucis diebus sanescunt, nec ulla deinceps contagii signa commonstrarunt: denique, decem diebus exactis, pure recenti fluido in usum denuo re-

vocato, curationem eandem iterum ſubierunt; die ſeptimo ab inſitione poſteriore, aegrotare coeperunt, et tandem e morbo ſoſpites evaſerunt. Infantulus vero, nondum lacte depulſus, infectionis ſigna in brachio ſiniſtro gerebat, oris inciſurae dilatatis, inflammatis, et ichorem tenuem profundentibus; inflammatio, die ab inſitione ſexto, in nummi coronati latitudinem ſerpebat; et die nono, ſymptomata febrilia, cum efflorescentia eryſipelatoſa, vultu papulis parvulis interſtincto, ſeſe patefecerunt.

Carthartico leniore ex manna propinato, poſtridie papulis una cum febre vaneſcentibus, et brachio brevi ſanato, rem totam jam in vado eſſe creditum: aſt, proh dolor! diebus quatuordecim vix dum emenſis, variolis e genere confluentium peſſimo correptus, quae tunc temporis, ſponte naturae, per oppidum graſſabantur, die ab incurſu morbi ſeptimo, remediis omnibus incaſſum tentatis, infans fato conceſſit.

Unde pateſcit, materiem purulentam, etiamſi viribus ad variolas in hocce caſu procreandas non

ſatis inſtructa fuiſſet, ulcerationem tamen in cute infantuli tenella provocaſſe, et ſymptomata febrilia, quae die nono, una cum efflorefcentia eryſipelatoſa papulisque in vultu conſpectis, ſeſe prodidere, concitaſſe; ſanguinem vero per maſſam univerſam non ita penitus exinde depuratum fuiſſe, ut contagii futuri periculum in perpetuum anteverti potuerit.

Hanc rem uti certiorem facerem, et gradus virium puris varioloſi diverſos ſub variis morbi ſtadiis, apertius dignoſcerem, periclitationes plures, ex primo ichoris lymphatici in brachiorum inciſuris ante eruptionem exortu, uſque ad plenam puſtularum maturitatem et deſiccationem, inſtituendas mecum decrevi. Documentis compertum, cum ichorem ante febrim eruptionis comitem, tum pus bene maturatum ex puſtulis depromptum, ad morbum generandum ex aequo valuiſſe; curis impenſis, uti utrumque ſub ſtatu liquido et recenti ſemper adhibeas: hoc enim rite obſervato, puſtularum eruptio, prout aegrotantis regimen et temperies habetur, majus minuſve copioſa deveniet. Omnia vero, pure poſt morbi cri-

ſin adhibito, puſtulis in vultu jam deſiccatis et deciduis, etſi pus ſatis copioſum, ex brachiis exulceratis, adhuc proflueret, longe aliter ſeſe habuerunt.

Binis puellis, praeparatione rite praemiſſa, annos quatuordecim quindecimve natis, queis habitus corporis tenuis et gracilior, menſe Decembri, variolas, pure recenti et fluido ex virginis brachio, die poſt criſin tertio, in uſum aſſumpto, puſtulis varioloſis per ora jam flaccidis et decidentibus in utriſque brachiis inſerui.

Compluribus diſtento negotiis, in ſeptimanas uſque duas, eas inviſendi defuit occaſio: brachia vero natu minoris, uti ipſae narrarunt, indiciis morbi nullis exortis, brevi ſanata fuerunt; alterius autem brachia multum prurierunt; ſiniſtrum ichorem tenuem effudit, et, cum viderem, eſchara ſcabieve coopertum fuit; die ab inſitione nono, febricula et cephalalgia ingruerunt, poſtridie vero febris, abſque ulla papularum eruptione, prorſus evanuit.

Puella natu minor eandem denuo tractationem

ſubiit, tempore conſueto aegrotare coepit; puſtulae viginti circiter eruperunt: altera vero brachiorum exulcerationi confiſa, ſeptimanis tribus elapſis, morbo naturali correpta fuit, et, deglutitione multum impedita, cum difficultate non minima convaluit.

Puerulus unus et puellae tres, ex quibus nemo infra quinquennium aut ultra duodecim annorum ſpatium aetate proceſſerat, pure poſt morbi criſin in uſum advocato, inſitionis operationem ſubierunt; cum vero, decem diebus tranſactis, nulla variolarum ſigna, niſi brachiorum inflammatio leviuſcula, et ichoris tenuioris exſudatio ſeſe monſtrarent, omnibus, ab integro, pure bono et recenti contactis morbus feliciter exiit, nec ſingulis puſtulae varioloſae centum et viginti numerum exceſſerunt.

At vero ſenior ovium paſtor, annos quinquaginta octo natus, ex eodem quoque pure in filo conſervato periclitationem inſitionis fecit; a die primo, brachia inflammata, cum ichore tenui depluente, purigine multa tentata ſunt. Die poſt in-

ſitionem peractam octavo, vertigine, nauſea, vomituque laboravit; noctu febricitavit; et papulae octo novemve per collum humeroſque mane conſpectae, poſtridie, abſque ſuppuratione, prorſus evanuerunt. Hebdomada peracta, pure recenti adhibito, inſitionis operam, effectu nullo ſubſequente, denuo paſſus, adhuc uſque ſanus et viribus integer vivit valetque.

Colonus habitu ac temperamento corporeo ſanus, ex eodem pure inſitionem perpeſſus eſt; et, licet ex brachiis, a die quarto jam inflammatis, ichor ſtillicidio proflueret, nulla alia morbi ſymptomata poſtea ſeſe cernenda praebuerunt; ſeptimo vero die, colonus, brachiis perſanatis, haud compos voti factus, periclitationem iterum ſubire noluit.

Ab exemplis omnibus hiſce collatis pateſcit, in operatione puris poſt morbi criſin aſſumpti, quippe ad variolas concitandas parum validi ac potentis, puſtulis jam deſiccatis, fiduciam ex tuto vix collocandam. Liquet enim, etiamſi ex inciſuris brachiorum pus adhuc ſatis copioſum ſuperſit, et

puri ante crifin educto non ita diffimile videatur, haud tamen adeo particulis variolofis effe refertum, ut alicui morbum impertiatur; quoniam fanguis in hoc morbi ftadio fic immutatur, uti pus inter brachiorum et ulceris communis non multum difcriminis intercedat.

Hic autem, fecundo, liceat, prout virium noftrarum imbecillitas fufferre valeat, in naturam contagionis, ex univerfo, paucis inquirere; praefertim inquinamenti variolofi originem indagare.

II. Cum miafmata contagiofa, quorum interventu morbi peftiferi ab aliis ad alia corpora mutuo communicantur, fint adeo fubtilia et minuta, uti omnem fenfuum noftrorum aciem longe fubterfugiant; cumque intellectus humani imbecillitas in intimam eorum naturam et effentiam penetrare non valeat, ideo perceptiones eorum, uti primario fubfiftentium, certae ac definitae, mentis acumine comprehendi nequeunt. Horum igitur indoles et qualitates, ex effectuum diverforum in corpora animalia particulis contagiofis infecta, contemplatione perattenta petendae.

Cum aër medium habeatur commune, quo particulae pestiferae ad corpora quaevis facillime et proxime sese admoveant; non tantum per meatus respirationis in pulmones, sed etiam per vasa inhalantia, quae anatome hodierna plenius illustravit, in universam cutis superficiem penetrare queant: unde veritas sententiae Hippocraticae, quod "Corpus universum sit exspirans et inspi-"rans," a viro celeberrimo Kaau *, multis experimentis satis superque confirmatur.

Serpet igitur contagium, respectu ad aëris constitutionem et temperiem quadantenus habito, sub diversis anni tempestatibus, prout morbo cuivis pestifero plus minusve faventibus. Hoc evidenter patet ab exemplo regionum quarundam orientalium, ubi pestis quotannis recrudescit, praesertim aëris calore et humiditate dominantibus, morborum putrescentium causis primariis.

Cl. Mead in tractatu suo De Peste recte observavit, aërem calidum, quam frigidum, ad contagionem vulgandam, multo esse procliviorem,

* Perspiratio dict. Hippocr. passim.

quod a nemine in ambiguum revocari poteſt, qui ſecum reputaverit, quanto magis effluvia omnigena in aëris ſtatu calido, quam in contrario, nempe frigido, diſpergantur.

Praeterea contagium, ſi ſtatus aëris ſtagnans et humidus calori magno ſit adjunctus, multo longius latiusque diffluet. Status aëris inquinatus, procul dubio, depoſtulatur, uti particulae contagioſae pleno vigore vires ſuas exerceant. Alioquin, haud facile concipi potuerit, qua tandem ratione peſtilentia, cum ſemel regionem locumve quemlibet invaſerit, niſi incolis prius deletis, unquam ceſſaret; quod facile explicandum, ſi ponatur, aëris indolem et qualitates, contagione per hanc aëris mutationem ſalutarem jam expugnata et ſubacta, in melius emendatas, et ſalubriores redditas eſſe.

Ita profecto febris carcerum et navium putrida maligna, quaſi peſtilentiae ſpecies mitior et benignior reputanda eſt, ex turbis hominum in aëre clauſo humidoque nimis coarctatis originem ducens: at experientia nuperrima docemur, machi-

nas pneumaticas, talibus in locis, aërem nocivum et inquinatum exhauriendo, et puriorem inſpirando, morbum huncce minus frequentem reddidiſſe. Ubi vero contagio diuturnius invaluit, et aliquamdiu ſaevitiam ſuam exercuit, alia in auxilium advocanda, quibus vis ejus refraenetur, morbusque depellatur, cum ventilatio ſola conſiliis noſtris minus accommodate reſpondeat. Hoc compertum ex multis experimentis in claſſe regia, bello noviſſimo captis, dum haecce contagio in navibus bellicis compluribus ſaepius erupit; praeſertim, ineunte anno 1757, in nave ſecundae magnitudinis, CANTABRIGIA nuncupata, in qua chirurgi munere, in me collato, perfungi contigit. Nam ſex intra ſeptimanas, homines trecenti, totius fere complementi dimidium, hac febre peſtilenti plus minusve laborarunt; ac tametſi contagio paucis lethalis evaderet, multis tamen fruſtra tentatis, etiam Plymuthi, poſt navis appulſum increbuit; donec, ſuffumigatione antiſeptica in nauſtathmo peracta, navis in ſtatum priſtinum purum ac ſalutarem reſtituta eſt.

Inquinamentum quoque varioloſum ab iiſdem

plagis orientalibus originem ſibi deducens, cujus primam notitiam et hiſtoriam medici Arabici *, Rhazes et Avicenna, nobis tranſmiſerunt, prout ſui generis peſtilentia reputari debet. Nec credere fas eſt, hunc morbum, ante adventum Saracenorum in Hiſpaniam, in Europa cognitum fuiſſe. Poſtea, ſaeculo duodecimo, cum expeditiones ſacrae crucis ſigno munitae, viam in illas regiones ſibi aperuiſſent, et redeuntes variolarum contagium, antea ignotum, ſecum reportaſſent; invectum, quibuſdam locis ac temporibus, tantum mortalium, quantum peſtis ipſa, perdidit ac devaſtavit.

Quando contagium varioloſum homini communicatur, genus primario nervoſum afficere videtur; quod ex proſtratione virium ſubitanea, vertigine, cephalalgia, affectibus ſpaſmodicis, caeteriſque, planius evincitur. Haec enim ſymptomata, ſaepe per dies aliquot, ante febrem eruptionis aſſeclam, arteriarum pulſu adhuc placido et ordinato, commotione nulla in ſanguine excitata, conſpicua fiunt, adeo uti videretur, impetum

* Le Clerc, hiſt. de la medicine.

morbi primum in genus nervoſum factum fuiſſe, ac deinceps ſanguini communicatum.

Contagio cuti quoque externae per inſitionem jam nunc admoto, etiamſi ſanguini ſtatim communicari credas, affectus tamen generis nervoſi prima ſymptomata fiunt. Hanc rem confirmant dolores vagi et erratici, ab artubus ſuperioribus in inferiores celerrime demigrantes, et thoracem aliquando ſicuti concuſſu electrico transfigentes. Huc quoque faciunt ſtupor et vertigo, et viciſſim hilaritas et alacritas ſumma, in hominibus quibuſdam, die poſt inſitionem peractam primo aut ſecundo, conſpicua. Caſum hujuſcemodi ſatis memorabilem nobis videre contigit, in V. D. miniſtro digniſſimo, qui morum ſanctitate doctrinam ornavit; ſtudiis vero totus incumbens, et vitam ſedentariam degens, interdum morbis hypochondriacis obnoxius fuit. Matutinis horis poſt inſitionem exactam proximis, ad eum acceſſi, valde hilareſcentem offendi, et multa de multis, ſumma cum volubilitate loquentem, praeter ipſius conſuetudinem; cum alioquin natura ſedatus ac gravitate decora ſeverus eſſet; oculis interea ſcintil-

lantibus, et fulgore tremulo micantibus, ſicut in iis qui lautius epotarunt; pulſus vero omnino placidus et ordinatus erat.

Cum natura miaſmatum varioloſorum ſpecifica, perinde atque liquidi nervoſi, hactenus ignota ſit, operandi rationem modumque vix aut ne vix explicare valemus; ſed ex obſervatione phaenomenôn accuratiore, et effectuum eorundem cum venenis aliis animalibus una collatorum, conjecturas quaſdam ratiociniis innixas, ex analogia petendas, deducere licebit. Ita venena quaedam animalia adeo lethifera ſunt, uti momento fere temporis interimant; ex. gr. morſus colubri * crepitaculum in cauda gerentis, exitium puncto temporis infert; in Africa, et in India Orientali, viperae quaedam occurrunt, aeque lethales, etſi mortem non tam cito properare conſueverunt.

Functionum omnium vitalium ceſſatio repentina, prout omnia phaenomena commonſtrant, veneni viribus in ſyſtema nervoſum agentibus, abſque interceſſione ſanguinis intermedia, promo-

* Phil. Tranſ. N° 399.

vetur. Cl. Mead experimentis compluribus evicit, nullam, ab hocce veneno viperino, in ſanguine recens emiſſo factam eſſe commutationem; nec tamen ejus indolem naturamque peculiarem, etſi multa pericula feciſſet, indagare potuit; nulla effervefcentia ex acidorum vel alcalinorum affuſionibus exorta. Liquidum tamen hocce venenatum, quod vulneribus affuſum adeo lethale deprehenditur abſque ullo incommodo deglutiri poteſt; prout ab exemplis, a viro clariſſimo, * Franciſco Rhedi, prolatis elucet, ubi viperarum prenſator quidam omnem liquorem viperae maximae et iratiſſimae gingivis expreſſum, et ſimul omnem ſpumam ſalivamque ejuſdem in ore latentem, vino dilutam, illaeſus exhauſit: hocce venenum ſimili quoque cum ſucceſſu animalibus ingerebatur; argumento ſane fortiſſimo, diriſſimos ejuſdem effectus haud ex eo quod in ſanguinis maſſam devehatur unice concitari. Tela illa † Bantamenſium lethalia, quae ex levi vulnere inflicto mortem indubitatam adferunt, in vino aut alio liquore per dies complures immerſa, nullam ma-

* Obſ. de Viperis, p. 14 & 18.

† Van Swieten Commentar. tom. I.

lignitatem liquido, in quo tamdiu latuere, conciliant.

Dum exercitum Cato per deſerta Lybiae aridiſſima duceret, milites ſitientes, de fonte qui ſerpentibus innumeris ſcatebat bibere non auſos, dux ille ſapientiſſimus, ut audacter biberent, ita cohortatus eſt:

'——vana ſpecie conterrite laethi,
'Ne dubita, miles, tutos haurire liquores.
'Noxia ſerpentum eſt admiſto ſanguine peſtis;
'Morſu virus habent, et fatum dente minantur:
'Pocula morte carent. Dixit, dubiumque venenum
'Hauſit; et in tota Lybies fons unus arena
'Ille fuit, de quo primus ſibi poſceret undam."

LUCAN. Pharſal. lib. IX.

Hic loci a conſiliis noſtris haud alienum eſſet, quaedam etiam de contagione venerea proponere; cum caetera venena, de quibus tractatum, in hocce perquam referat, quod, per inſitionem alicui communicata, non ex eo, adinſtar inquinamenti varioloſi, remolleſcit, ſed multo acrius exaſperatur.

Mackenzius enim, vir ingenii dotibus eximius, et inprimis honeftus, qui, artem obftetriciam Londini docendo, magnam fibi famam acquifivit, nobis retulit, fe cafus hujufcemodi complures, inter obftetrices, noviffe, quae parturientibus, lue venerea infectis, opem tuliffent. Talium enim partes affectas contrectando, digito vel leviufcule excoriato, tactus infeliciffimi poenas luebant. Octiduo enim, digitus dolore et inflammatione correptus, ad brachium et axillam ufque cito ferpentibus, maximam fufpicionem intulit, ne et ipfae veneno venereo afficerentur; quae quidem fignis Luis pathognomicis, brevi infequentibus, apertiffime confirmata eft.

Siquando obftetrices, aetate provectiores, aut temperie pejores, in hocce infortunium incidiffent, omnibus remediis antifyphilicis, a medicis et chirurgis peritiffimis, incaffum tentatis, plerumque fato concefferunt: juniores vero, et temperie magis fana gaudentes facilius ad fanitatem perductae fuerunt.

Cafum etiam hujufcemodi fatis memorabilem,

qui, bello ſuperiore flagrante, occurrebat, aucto-ritate certiſſima ſuffultum, enarrare liceat. Chi-rurgus navis bellicae, cui nomen ARETHUSA, cum bubonem venereum captivi cujuſdam Gallici cu-raret, inter incidendum, et pus educendum, di-gitum ſiniſtrae indicem, mucrone ſpecilli acuto, forte punctura leviuſcula diſtrinxit. Digitus, in-tra ſeptimanam, doloribus affici, tumeſcere, et in-flammari coepit. Cum vero ſpecilli puncturam in memoriam revocaret, contagionis ſuſceptae prin-cipiis obſtare ſtrenue conatus eſt; ſed fruſtra, li-cet operam ſedulam enixe navaret. Nam tumor et inflammatio ſingulis diebus ingraveſcebant, et totum brachium ad axillam uſque, doloribus a-cerrimis una concomitantibus, occupaverant; un-de mala peſſima pertimeſcenda fuerunt. Brachi-um enim ita tumefactum erat, uti femoris humani magnitudinem adaequaret; et, indiciis gangrae-nae incipientis in manu affecta conſpicuis, inita eſ-ſet, de membro amputando, conſultatio. Attamen ſcarificatione et fomentis antiſepticis in ſubſidium advocatis, brachium auſpicato conſervatum eſt. At vero ſanatio, propter abſceſſus complures, in-ter muſculorum interſtitia formatos, diutius pro-

tracta fuit.——Hic autem usu digiti indicis contracti ex toto privatus, ad damnum interea compensandum, stipendio annuo honorario ex Aerario Chatamii potitur.

Sed, priusquam brachii curatio absolveretur, symptomata veneni venerei pathognomica, per corpus universum, sese monstrarunt; qualia, maculae latae, pustulae scabiosae, tubercula callosa, et caetera; quaeque mercurialium usum longiorem prius depostularunt, quam effectibus perniciosis insitionis hujusce involuntariae liberari potuerit.

Ex his aliisque multis exemplis constat, talia in rerum natura venena animalia subesse, quae, quamvis innoxie deglutiri possint, vulneribus tamen, aut nervorum extremis, in leviuscula cutis excoriatione admota, nervorum facultatibus statim sublatis, et omnibus functionibus vitalibus simul et semel praefocatis, symptomata horrenda, immo mortem certam et subitaneam concitarent. Sed de hisce satis: nunc ad inceptum redeamus.

Mirum sane, quam pauxilla puris variolosi par-

ticula cuticulae inſerta morbum inducat; nec experimentis conſtat, an revera copia puris major minorve diverſos effectus edat. Inter homines enim complures, ejuſdem generis pure ſimul contactos, et ſub eodem victus regimine verſatos, cum in puſtularum numero, tum etiam in ſymptomatum violentia, permultum diſcriminis intereſt; quod quidem ex quantitate puris varioloſi inſerti majore aut minore ſatis explicari nequit; ſed a temperie diſſimili, et a pabuli inquilini copia diverſa pendebit.

Compertum etiam uſu, periculum nullum ex accumulatione contagionis in variolis inſerendis adeſſe. Complures enim novimus, qui, die primo, ſecundo, tertiove, poſt inſitionem abſolutam, in morbum naturalem inciderunt. Eorum vero brachia, pus etſi varioloſum, fluidum recenſque, vulnuſculis immiſſum fuiſſet, infectionis ſigna nunquam monſtrarunt: omnes enim e morbo incolumes evaſerunt.

Capitis damnati, quibus, in carcere, Maitlandus, periculi faciendi gratia, pus varioloſum, in

brachiis et cruribus utrisque, per incisuras altiores, inseruit *, die post perfectam insitionis operam tertio, puris copia recenti, absque ullo effectu notabili, denuo contacti sunt. Unde patet, puris inserti copiam majorem minoremve nullius esse momenti; pustularum vero numerum, symptomatumque vires, ab aegrorum regimine, ac pabuli inquilini copia in singulis diversa, pependisse.

Commodum ergo praecipuum, ex variolis inserendis percipiendum, in hoc maxime consistere videtur, quod extrinsecus communicatur contagium; quibus rationibus, morbi species longe mitissima plerumque concitatur. Nam, licet in hominibus quibusdam, obesis admodum et cacochymicis, symptomata quaedam anomala, qualia, erysipelas, et caetera, quandoque cernenda deveniant; casus tamen hujuscemodi rarius occurrunt, et, si apta medela tractentur, rarissime vel nunquam periculosi fiunt.

Hoc porro discrimen, inter contagium variolosum externe communicatum, et venenum aliud

* Maitland's Account, anno 1722.

quodvis animale, characteristicum insigne constituit: hoc enim intus receptum innocue et leniter agit; vulnusculo vero leviori extrinsecus immissum, mala deploranda concitare consuescit. Illud, e contrario, intus admissum, maxime depopulatur; per insitionem tamen extrinsecus admotum, lenius ac mitius evadit.

F I N I S.